



# LIBER PRIMVS, DE SECRETIS.

## CAPVT PRIMVM.

*Quid sit secretum.*

**M**A X I M A pars eorum quæ scimus, minima est eorum quæ ignoramus: vt inquit Philosopbus. Quapropter, si tam multis quæ sciuntur libris scripta sunt, quot & quantis indigeni quæ nesciuntur? Ob id, si secretorum nomine quæcunque ignota sunt, intelligeretur, haud dubiè infinitus numerus librorum ad tractanda ea quæ latent, necessarius esset. Verum cum secretorum nomine quæ sciri non possunt, haud intelligentur hic, nec etiam quæ confessim methodo & ratione scire licet, amputata magna parte ab his quæ nesciuntur, eorum quæ ad secretorum tractationem haud pertinet: nihilominus adhuc amplissima seges huius materiae relinquitur. Ut multo plures libri sunt necessarii in vnaquaque arte ac disciplina, his quos conscriptos videamus, ab viuieris hominibus qui posterorum utilitati consulere voluerunt. Quapropter nec defururum nobis amplissimum argumentum scribendi yiceri possum: sed tot tantaque se offerunt, vt Mathusalem anni (velut dicunt) haud essent sufficiunt.

Quid ergo hac in ztate opus hoc aggredior, quod nec multi continuata serie abfoluere possint? Irritum hoc, & vanum. An potius methodum quandam generalem posterioris relinquam, quæ defunt maxima ex parte inueniendi ac conscribendi? Est autem vbi plurimum de potentia, de actu minimum: & vbi actus plurimus est, hi ad potentiam minus apti censeuntur. Quid sit, vt nos qui methodum aliis tradimus, parum inuentis utamur: qui verò haud inuenire poterunt, inuentis à nobis atque aliis magis feliciter utantur. Est enim vt in iuuentis, ita in secretorum inuentione duplex utilitas, & scienti & vsu: hanc magis optant imperiti, & viles & pauperes: illa egregio viro magis digna, vt quæ ad altiora & plura se extendat.

Prestiterit autem scire, primùm quid sit secretum, ne omnia eo nomine quæ tradita sunt, comprehendantur. Ea ergo secreta dicimus, quæ non euidentem ob rationem inuenta sunt: atque ob id etiam paucissimis natura nota sunt. Velut machinarum ignearum constructio, tametsi pluribus nota sit: tamen cùm abditam quandam rationem in se contineat, secreti nomine continetur. Ha-

bet autem hoc, quod etsi nota sit pluribus, longè plura ramen continet abdita in se, que nulli mortalium nota sunt. Idem dico de la pide Herculeo. Quod enim ferrum trahat, il ludque ad Septentriones dirigat, omnibus ferme ex æquo notum est: at quia causa ignota est tot adhuc tantaque in hoc arcano latent, vt quod notum est, præter usum eorum comparatione contemni possit.

Quapropter & Fracastoreus & Fortunius Affaitatus, & nos antea de his scripsimus, cùm nondum Dialecticæ regulas abditas inuenissim, atque in ordinem redigissim. Lusimus & operam ob id omnes, infinita inter pauca nota ignota relinquentes. Ea de causa hunc librum conscripsimus, vt patet ratio inuestigandi quæcunque abdita sunt. Eritque forsitan illud pro exemplo, ob uberem copiosamque materiam ac miracula quamplurima quæ in ea continentur.

Alia utilitas erit, vt tres libros à me conscriptos in ordinem redigam. Neque enim quicquam perperam ac (vt ita dicam) solitariè à me conscriptum est, sed omnia necessitate quadam. Dicitur autem Secretum Græcè ἀράγη vel ἀστέρες: Latinè seu occultum dicat, seu secretum, aut arcanum, vel abditum, aut ineffabile. Sed hoc aliquid maius est, nihil moror: nam non nomen, vt dixi de Subtilitate, quæritur, sed res ipsa quæritur: nec res vna tam aperte expressa est à Latinis aut Græcis, vt proposito nostro ad vnguem satisfaciat. Quapropter & ampliare & contrahere significata licet: modò admoniti sint lectores, ne propter verbulum unum multa utilia & simili connexa pereant. Dicimus ergo secreta esse & cognita, quorum ratio non adē perspicua est vt plurius nota esse debeant: tametsi usus docuerit plures, & occulta, nequid inuenta, quorum extant seminaria, quedam inueniendi: aut quoniam necesse sic casu detegi, ob rei in qua sita est illa vis copiam, & frequentem usum. Quæ verò nunquam detegentur, & quæ manifestis innituntur rationibus; licet nondum inuenta, Secreta dici non merentur.

## CAPVT II.

*De secretorum primis generibus.*

**S**VNT ergo secretorum tria prima genera: Sincognitum, quod tandem in lucem veniet: Cognitum paucis, quod maximè in precio est: & multis, quod euidentem causam

sam non habent, atque ob id necesse est ut longè plura ea in te lateant quām quae comperta sunt. Id necessarium autem est in omnibus. Cū enim proprium aliquid inest, & abditas habet causas, necesse est causas illas latere, & ab occultis illis causis alios produci effectus, qui naturaliter occulti & ipsi erunt: quanquam & ipsi, ut primus casus, forsitan detegentur.

Alia diuisio rursus elegans. Secretorum quædam in contemplatione sola consistunt, ac sola scientia delectant, ut quæ de Deo & substantia cœlorum abditz, aliquibus tamen comperta sunt. Quædam in contemplatione posita sunt, sed quæ ad opus deduci utile possunt: ut magnetis, lapidum & plantarum vires. Quædam vero in ipso opere tantum constituta sunt: ut scientia separationis metallorum, distillationum, conficiendi coloris, atque huiusmodi.

Sunt & secreta magna, mediocria, & leuia: magna de nobilibus rebus, aut magnæ utilitatis, aut lucrosa: eadem ratione mediocria de mediocribus, aut cum mediocri utilitate, aut lucro: & parua, eadem ratione. Secretum ergo ad curandum pestem, magnum erit: ad curandam quartanam, mediocre: ad delendas scabritates, leue erit. Sunt etiam secreta quædam perfecta, quæ semper effectum consequuntur: alia ut in pluribus, alia quæ raro: ut quæ lapidem vesicæ comminuant, propter multa impedimenta raro quod pollicentur, præstant. Sunt etiam quædam magni laboris atque sumptus, alia mediocris, alia vero propè nullius: ac prima quidem tametsi vtilia, rarius in usum veniunt ceteris, nisi omnino vtilitas maxima sit: ut bellicarum machinarum, & impriendi libros. Alia etiam sunt de rebus quæ passim inueniuntur, alia de rebus rarissimis: quamobrem difficile inueniuntur, & inuenientur abeunt in consuetudinem: cum propter facilis inueniantur, & inuenta diuinitus seruentur.

Sunt & secreta circa actiones, alia circa ea quæ sunt, alia ad præstigias: imò ipsa præstigia ars tota secreta esse videtur, & admirabilis. Circa ea quæ sunt, ut cementum, & strues æterna: circa actiones, ut pennis digitis inundis pulsare: atque ea quæ ad robur & agilitatem pertinent. Sunt rursus secreta quædam quæ causam nullam habent manifestam: alia, quorum principia sunt non per se manifesta: alia, à principiis adeò remota, ut sine maxima negociatione sciri non possint.

differentiam secretorum naturam variare. Quia ergo secreta, quorum causa ignota est, si sciri desinant, non facile restituvi possunt: & maximè cùm de rebus inveniuntur difficultibus fuerint: palam est, illa nomine secreta esse, cùm sciri desierint: cùm sciuntur autem, verè ita dici debere. Quorum vero causæ ac principia non facile primis cogitationibus occurunt, ut quæ ab Archimede & ab Apollonio Pergeo tradita sunt ( innituntur enim principiis non per se notis ) ea naturam suam retainent, nec inveniunt nec obligata naturam mutant. Sed quæ proual absunt à principiis per se notis, ut quæ ab Euclide ultimis in libris demonstratur, & à nobis in primis quinque, cùm vero secreta non sint, desinere non possunt, tametsi ab homine nullo cognoscantur. Sunt enim in causis suis & hominum labore reposita. Dicuntur autem secreta ob inventionis difficultatem, & quoniam inveniuntur quandam retinent pulchritudinem, vel evidenter utilitatem. Et quamvis hæc propriæ secreta non sint, sic tamen appellantur: quoniam de his etiam hic tractatio à nobis est instituta. Circa usum vero, cùm quæ à paucis cognoscantur, diuulgantur) velut machinarum bellicarum ignearum usus, & typographicæ) non tamen desinunt esse secreta: sed secreti usum, quod ad compendium lucri attinet, amittunt. Sed etiam neque illud prorsus, cùm (ut dictum est) non planè nota causa, aut omnino ignota, necesse sit multa latere: quæ si in usum venirent, lucrum non leue affert inuenitoribus. Quod etiam indies accedit & in his dictis, & in ἀλχυμίᾳ & μηχανικᾷ, atque aliis pluribus. In vniuersum ergo non videtur mutatio naturæ, nisi cùm quæ nota erant, difficulti quædam inventione aut ratione ad facilem transeunt: tunc enim secreta esse desinunt. Et in artificiosis vel chrysocolla facienda è terra ars secretum est, si ad quantitatem referatur: si simpliciter, cùm cuique leui negotio pateat, secretum non est.

## C A P V T I V .

### *De modis secretorum.*

**S**ecreta quidem alia, ut dixi, in cognitione vniuersi utilis est, atque hæc indiuisa: Alia autem circa ea quæ fieri possunt, vel in operibus, vel actionibus aut representationibus: horum trium, & maximè quæ circa opera versantur, quæ etiam magis lucrosa sunt: quædam ex genere ipso Secreta appellantur: ut quæ circa Alchymicam, & Magiam, & colores. Scriptis autem de duobus primis Auicenna: an vero exter chymica, incrementum est. Necromantiam vidit Suessanus: an etiam alia sit à Magia, in propria tractatione, sed non à nobis definitur. In omnibus autem his, tum etiam rebus quæ secreta non sunt, contingunt secreta artes atque inventiones quadruplici modo: multitudine, perfectione seu decore, facilitate, breuitate temporis. Facilitas triplex: in paucorum assumptione, in parvo sumpta, & in operatione

## C A P V T III.

### *De secretorum natura.*

**V**erum vero, quod secretum est, verti possit in vulgatam rem, causa inuenta: & an eauscæ, cognitione oblita atque amissa, vulgata in secreti naturam transire possint, considerandum. Assimilatio autem ultimam divisionem secretorum, atque illud: quod iam supposuimus secreta scilicet quædam nota esse, alia prorsus adhuc incognita: nec hanc

tione ipsa. Huius vero rei causa unum subiiciatur exemplum.

+++ +++ +++ +++ +++ +++ +++ +++ +++


## C A P V T . V .

### *De exemplo Herculei lapidis.*

**A**Ssumamus notissimum & multiplex exemplum, in lapide Herculeo, quoniam vulgatus, adeo ut etiam vili precio distractri soleat: quanquam optimus ciuius non adeo sit frequens. Optimus est, qui trahit ferri partem sextam, ponderis habita ratione. Hic ergo primum trahit ferrum. Illito autem ferro, id ipsum ferrum trahit, atque haec duo tantum nota fuere Antiquis. Nisi velis id pro tertio constitueret quod appensum ferrum rursus aliud trahit, atque illud aliud: nam & hoc nouere quidam, tametsi non omnes ex Antiquis. Quartum id proposatur, quod tam primum Antiquis ignotum fuit (appello antiquos non solum Aristotelem & Galenum, sed etiam usque ad Auecennia, sed Hasen verius & Auerrois tempora) quod ferrum, si ferrum trahere deberet oportet ut ad eandem partem lapidis trahatur, dum affrictatur: aliter, si in contrarium, irrita sit prior vis, ut nec trahat, nec dirigit. Dirigit enim hic lapis ferrum ad Boream, inflests apicem quinque, vel (ut Fracastoreus, qui diligenter rem hanc considerauit) partibus nouem, ad dextram, scilicet ad Orientem. Hoc palam est haud nouisse Antiquos, quod classes non ita insuffit reges ob imperitiam huius amississent. Hoc inter saecula maria, inter ventos & turbines saeculibus tempestatis concussa naui, seruatum illibatum: mirum certe liberalis natura donum. Quin etiam, quod sexto loco additur, delata ultra æquinoctij circulum nibilo secius ad tundem boream, non ad Antarticum polum vertitur. Frustula quoque magnetis trahuntur à magno fieri frusto: & eo magis, si iniucem fuerint affricta. Octauum est, quod is lapis altera parte ferrum ad boream impellit, altera ad Austrum: non ergo semper ad boream, ut vulgus putat. Sunt autem partes ille lapidis opposites, sed non ad unguem semper. Nonum, lapis qua parte ad boream dirigit ferrum, ad eadem parte contactum vehementius celerrime trahit ad se: ferrum autem contactum à parte que ad Austrum dirigit, à se manifeste repellit. & cum impetu: ferrum antem intactum medie creret trahit ad se. Sic pars que ad Austrum dirigit, trahit ferrum vehementer: quod tam partem tetigit, repellit: quod tam partem oppositam mediocriter, parum ad se trahit. Decimum, lapidi ad boream patrem dirigenti, si ferrum utique cuspidem contactum à lapide ad Austrum dirigente approximet, pellit illud. Et ob id quibusdam ysis est lapis hic abigere ferrum: sed opposita pars ferrum tacum similiter à contraria parte abigit, à simili seu eadem trahit. Undecimum, magnes, magnetis frustula contacta ferro, aut si ipse ferro contactus sit, & ferrum trahit, & abigit, iuxta principia iam propasita. Ex

hoc sequitur duodecimum, quod magnes ab una parte trahit ferrum, & repellit magnetem: ab alia trahit magnetem, & repellit ferrum, & quandoque trahit virumque. Tertium decimum est, quod aliquis lapis ex his trahit argentum, & ferrum quod ut huius trahit argentum est perfectissimum. Quartumdecimum est, quod argentum aliquando argentum trahit, licet sit hoc raro, tamen eandem habet causam. Quintumdecimum est, quod magnes aliquis repellit ferrum, dum trahit partem oppositam, licet remotorem: qui illam tam tetigit, & ab ea imbutum est ferrum. Sextumdecimum non est adeo firmum apud me, licet Fracastoreus referat: scilicet quod ultra æquinoctij circulum magnes dirigit ferrum ad leuam & ad occidentem, respectu poli borealis. Sed istud est necessarium, non quia ultra æquinoctij circulum, verum potius quia Antichthones nostri vel Antipodes sunt. Sit igitur circulus a b c, eius polus b, & oriens habitat in d, linea magnetis: ergo erit d c. si igitur circumuerat ad oppositum, ut perueniat ad alteram partem sub pedibus nostris, linea d c, perueniet ad d a. igitur erit à parte leuæ respectu poli, orientalior tamen & ipsa polo, sicut d c. Apparet igitur, hominem illum nec prima elementa attigisse Mathematicarum, ut nesciam quantum illi tribuendum sit de Hemocentricis tractandi, ita supra humanum ingenium. Videtur enim mihi de ingenii esse, ut de rebus naturalibus: in quibusunque enim longa zetas cernitur, in iisdem cernimus senectentia, iuvenilia, adulta, parva, & nonne nascientia? qualia in Archimede, Apollonio, Aristotele, Galeno, Auerroë atque Auecenna.

Hic videte hominem, qui ad summum mortalitatis fastigium, imò quasi supra ipsam peruerterit mortalitatem: nulla autem indicia vel mediotris, vel initij in eiusdem artibus facit, ut credam ipsum in illis suis Hemocentricis mera narrasse somnia. Sed mittamus virum aliqui egregium, & in aliis minimè contempnendum: maximèque in Poësi, & naturalium rerum Scientia. Mirum de Aristotele & Galeno, & que Philosophi, & eorum ignorantiam merito accusamus, qui cum magnetis tantam copiam haberent, adeo negligentes fuerint in experientia, quod tam facile experiri poterant, ut tot illius vires ignorauerint. Si etemus vel minimum (diligentia non dicam) temporis impendissent, vel casu sibi ex parte experimentis necessarium erat: ut in cognitionem singularium virium deuenirent. Sed Aristotelem excusatos traximus, ob doctrinam,



nam de animalibus nobis traditam: Galenū ob peritiam medicinæ, & imperitiam Philosophiæ. At Alexandrum, Themistium, Simplicium, Ammonium, Ioan. Grammaticum, Olympiodorum, Auertoēm quis excusat: inutilia carnis fructa: quibus nihil cordi fuit, p̄tēt nugas & contentiones. Theophrastus certe laude dignus habendus est: quoniam cum studiis labore iunxit: hi verò videntur fuisse deceptores humani generis, rum ob summam ignauiam in quaerendo naturæ arcana, imò vel etiam tria: tum quia cum diuersa senserint atque pugnatio de iisdem, veritas autem una tantum esse possit, quantam perniciem atulere mortalibus: Gratias ergo agamus Hippocrati, Aristoreli, Theophrasto, Alberto, Dioscoridi, Auicenne, Galeno & Plinio, atque huiusmodi viris, qui naturam esculuerunt quantum in illis fuit, aut artium saltem praecēta nobis tradidere: demum his, qui simplici sermone bonos autores explicarunt. At his qui per contentionēs ambitionēmque ignauiz parem magna sibi nomina vendicarunt, quorum lectio nos à diuina contemplatione naturæ operum & Mathematicarum & diuinarum vitarum & artium notitia auertit, ac simul falsis opinionibus implet, tantum abest ut aliquid debeamus, ut etiam odio maximo, ut venefici inter medicos, falsi artifices inter veros, digni sint. Neque enim vlli credas mortalium, qui solum generalia norit, cùm ad singula deuenitur, locordia illius deprehenditur. Maximam autem indicium diligentie, iudicij, & amoris veritatis est, peritia intima mathematicarum: quantum cognitio facilis est, scientia certissima, contemplatio iucundissima. Ut ergo qui eas non nouit, aut attingere non potuit, ut ingenio carere illum necesse sit, vel neglexit, quid ergo aliud ex colere poterit, aut volet: aut utilem scientiam non existimauit itaque iudicio careat oportet. Ergo quomodo Secreta disceere liceat, ant inuenire, doceamus: Et qui nam maximè ad hoc apti sint.

.....

### C A P V T VI.

#### *De modis secreta inueniendi.*

**P**RIMUS quidem modus ratione constat efficaci: atque idē hæc inuentio eruditis maximè atque exercitatis conuenit. Conuenit autem aon solum exercitatum esse in scientiis manifestis, sed in his que obscuris quibusdam ac profundis rationibus inuenta sunt: ob id plurimum confert, iam inuentorum rationes ad amissum perpendere, ut in secundo libro diximus, qui Dialectica inscribitur: Inuentis enim principiis quibusdam in singulis disciplinis, quæ non statim occurruunt, oportet ea in compendium redigere, constitueréque qualē antea diximus dialecticam propriam illi ac consimili disciplinæ. Oportet autem cauere diligenter, ne in illis abertere: minimus enim error, ut Aristoteles ait, in principio, maximus fit in fine. Est ergo exercitatio in inuentis & scientiis & cognitione causarum, & vñ ipso

perquām vñiles ac necessaria. Neque enim chymista fies vñquam, si furnos, vasa, metallaque non tractaueris. Habet vnaquæque sapientia quendam vsum necessarium: magis autem, cum ad exercitationem deuenire licet: mulro magis, si exercitatio ipsa ad vnum quodque deuenit, vt Medicina & Musica: at etiam longè magis necessaria est, si mechnica sit, vt fabri atque cerdonis: omnium autem maximè, quæ circa secretas artes versantur: vt chymica, magia: nam in huismodi vel minima negligentia euertit omnia: quoniam tota ars in subtilissimis rationibus reposita est: at hæc minima quis custodire poterit, qui non exercitatus etiam diu in eo negotio fuerit: quandoquidem subtilitas hæc solius vñsfructus sit.

Secundus modus habetur ex similibum inventione, & deducione ad similia: quemadmodum in magnete diximus. Tria enim cùm sint tantum principia, scilicet heteroleura lapidem velut masculum ferrum appetere, ferrum, ad libramentum lapide imbutum poli dextram partem quæ Orientalis est respicere, oppositamque lapidis partem oppositum: oriuntur sexdecim illa secreta, atque etiam vñs pyxidis nauticæ & horologiorum multaque alia excogitare licet: velut etiam in Mathematicis, primo ex uno sensim & ordinatim plura: idemque in artibus ipsis, velot fabrili, sit malleus è malleo, incus ex vtrōque: forceps, post stylus: iudea lama, & vitis ferrea: post gladius, seta, clavis, rastrum, bidens, sarculus, tōque alias & quæ post sunt, emendant prima, ac corrīgunt, & in melius mutant. Tertius est, ut docearis ab aliis: idē multa habentur a parentibus, quedam ab amicis, quedam inuenientur dilectisq[ue] peragrande terras: ideo studiosi secretorum querendorum nil maius habent peregrinatione. Sic Hippocrates, Galenus, Dioscorides, Plato, Iamblicus. Quibusdam locupletior fortuna hos labores & hæc pericula deuinituit, ut per alios facere possent, quod ipsi facere cogerentur: ut Aristotleles & Ptolemaeus, ob diuitias. Sed tamen eundo etiam plura qui mittendo discuntur. Porro multis modis secreta in aliis regionibus discuntur. Primum, quod quæ publica ibi sunt, aliis in regionibus sunt secreta, ob exercitationis non adeo perfecte defectum: vnaquæque enim regio quadam artes magis excollit: etiam inter Italiz vrbes videre licet. Arma Mediolani optimæ sunt, panni Veneti, clypei Murina, linea tenuia Bononia: sic apud Turcas tapeta, apud Persas chalybs, apud Belgas speciosæ & parui sumptus pictura. Secundum, quod multa sunt propria diuersis in regionibus, quorum inopia est apud alias. Et rursus earundem specie rerum tanta differentia, ut in eadem regione differentia specie videas similiora: ut Creticum & Italicum origantum. Tertium est, ratio morum, legum naturæque hominum: quamobrem multa discere volenti, nihil opportunius peragrationis prouinciarum. At quod huius obstent, non ardum est intelligere: velut pericula viarum, pecuniarum defectus etiam in opulentis, cum deferre non tutum sit, non deferenti multa & maxima

maxima impedimenta adsumunt: mutatio aeris, vietus, pecunie varietas, ut nonnunquam velut alter Midas, in sonis opibus fame premari: præterea tria illa maxima, supicio principum, diversitas religionum, atque linguarum. Ob id sapientes (quod & alias diximus) Moses, non alio supplicio dixit Deum ultrum esset immania audentes, quam immissa linguarum varietate. Vidi tamen, ut etiam dixi in Physicis, hominem pauperem, qui ex Græcia Turcarumque regionibus, quatuor & quadraginta secreta attulerat, quæ publicabat: forsan & alia multo plura habuit. Quartus modus contingit ex reuelatione, maximè per somnia. Quidam etiam diuino afflantur numine: quo sit, ut quæ tradita sunt de Necromantia, aut fabulosa omnino sint, aut à daemonibus docta & ostensa: neque enim experientia in inane vel casu ignosci potuerunt. Proferrere autem liberè, omnes nugas esse, nisi Hasen & Conciliatoris, autoritates, non dubia illorum, tum patris mei, anticipitem me redderent. Sed hanc partem, & venenorum, intactam relinquam, quas etiam nunquam querere volui: alteram, ut ineptam & cui non fidem alteram hominem, nedum probo viro indignam: maleficos enim & iniustos proteret Deus: contra bonos quid deterreri excogitari potest: quam talia parare? At verò alia multa à diis ostensa & historiæ produnt, & clari autores commemorant.

Quintus modus, à fortuna & casu pendet: sèpe enim alia querentibus, huiusmodi se offerunt. Colores enim & vesciæ, & machinarum ignearum ratio, casu inuenta sunt, dum chymica & metallica metamorphosis queritur. Sed neque simpliciter hanc rationem inire oportet: vniuersam enim vitam antea consumere liceret. Sed tria maximè obseruare oportet, & quartum sic occurrat, optimum erit. Dicam autem primùm omnia simul, inde singula seorsum explicabo. Observare igitur decet, ut plurima non valde differenti ratione, sed quasi sub eadem maximè distantiæ experiari. Velut, mibi in animo est hoc anno animalia multa herbáque in fimo equino putrefacere, in vitrois vasis: videréque sub una ratione & tot diuersis materiis, si quid egregium exortiar. Scio enim sponte ex singulis plantis à Sole singula procreari animalia: idem ergo de fimo existimandum erit.

Secundum est, ut sciamus quæ possunt proficere, & videntur esse sex: Generatio, ut in terra fouendo: præparatio, ut in infistione: purrefactio, ut in fimo: separatio, ut per ignem: purgatio, ut per aues quæ denorant: & opus manuum, quo expoliuntur, aptantur, iungunturque res,

Tertium est, ut scias cui usui ad medelam corporis, animi, ad speciem & ornatum: ad compendium, ut machina quibus immensa pondera deducuntur: & ad raritatem. Quod verò præscire, si contingat, optimum est in huiusmodi negocio, est dignatio finis possibilis. Vélut enim iter agentibus nihil tam vtile esse potest, quam scire quod dirigatur iter: ita nihil tam vtile querentibus talia, quam scire ea quæ inueniri possunt. Si thesauros scias in domo latere, omnino eos inuenies. Si scias posse spectra singi, spectra

singes tandem. Nihil tantum iuuat querentem, quam securitas posse finem adipisci: incerto vagatur quisque, qui nescit an quod querit, possit inueniri. Ita spes alit homines, sustentata inopiam, dulces efficit labores, iucundos exortos: desperatio obruit & vertit omnia.

## CAP V T VII.

*De Materia omnium secretorum.*

IN his omnibus à notioribus & partibus. Est inchoandum: faciliora enim præcedere debent. Post materię notiores sunt actionum generibus. Secundum hoc ergo, prima huius artis Deus est, & vita: ab his nihil præterquam supplicationibus impetrare licet. Inde cœlum: hoc ergo ad magiam & naturalia opera, ut sationem, vti licet. Post est lux, luménque: his vti possumus ad præstigias, naturaliaque opera. Post est aëris, quoad machinas vti licet: quoniam aliter sensibus non subiicitur. Quintum genus sumitur ab aqua, ad machinas, ad irrigationem, ad deductiones: est autem materię quintum genus. Sextum est à terra, circa generationem. Septimum ab igne, coctio, separatio, exustio, & quæcunque alia. Octauum, à metallicis. Nonnum, à metallis. Decimum, à lapidibus. Undecimum, à plantis. Duodecimum, ab insectis. Tertiumdecimum, ab animalibus aliis. Quartumdecimum, à medicamentis & venenis. Quintumdecimum, ab hominis partibus corporeis. Sextumdecimum, à cogitatione. Decimumseptimum, à machinis. Decimumoctauum, ab artibus. Decimumnonum, à somno & vigilia. Vigesimum, ab his quæ sunt extra nos, quasi è nobis sint.

## CAP V T VIII.

*De finibus & modis operationum.*

Fines autem multiplices: generaliter ad sapientiam, ad utilitatem, & lucrum. Unde secretorum etiam genus verum, & ad decipiendum: huiusmodi nunquam aliæ tanta copia: inde lances ponderaque falsa, & duplicitia, scilicet leuiora & graviora: & suppositæ personæ, multaque huiusmodi. At de his probi viri non est tractare, etiam si nulla alia lucri spes esset: nunc in tanta copia secretorum utilium & laude dignorum, nefas esset de huiusmodi falsis secretis atque decipiendi modis sermonem habere.

Sed redéo ad veras inuentiones, inter quas etiam præstigia numerati debent: neque enim ad decipiendum excogitata sunt: sed ut intelligeretur, mentem hominis sensibus esse superiore fallique persæpe illos. Igitur finium genera sunt octo: viuere diu, bene valere corpore, atque mente potentem esse, diuitem, ornatum, cum voluptate, & filii. Omnia ergo secreta ad unum horum generum deduci ac tendere debent. Modi autem tres: aut melius quid facere, seu nouare (id enim melius est) aut facilius; aut sensus perstringere. Cum ergo tria in octo, & productum in viginti duxerimus, sicut ducentæ octuaginta secretorum differentiae: at quoniam quardam in unum conuenient, alia di-

uiduntur, placet libros necessarios hunc arti  
enumerare.

.....

## C A P V T I X.

*In quo enumerantur omnes libri  
Secretorum.*

**P**rimus igitur liber, qui & solus edetur à me de Secretis, est hic præsens, in quo de totius artis principiis tractatur: vt reliqui omnes possint hac ratione à diuersis confici. Secundus autem, est de specialibus modis huiusmodi libros conficiendi: & ita de propria cuiusque disciplina logica: confessus est hic à me, & vocatur Dialectica. Extat. Tertius liber, est de cognitione Dei, & vocatur Hymnus: cuius pars à me conscripta est, docetque secreta illa superiorum: nec edetur forsitan, ne prophanentur diuina. Extat.

Quartus liber effet de Precationibus & supplicationibus, quem non scripsi, propter multa: bono enim viro non expedit: mali non sunt docendi, sed ut veniam querat. Quintus, est de cœlo: cuius portionem seleni gerer licet ex libris de Subtilitate & Rerum varietate. Eius tamen non scripsi: sed alium quendam loco huius, & omnium sequentium velut farraginem: qui extat, nec edetur.

Sextus, est de luce & lumine: de his autem, in libris eiusdem, scilicet nuper dictis, sermonem habui: sed nullo peculiari libro tractationem hanc tradidi. Verum multa illis secretiora latent, & magis vtilia humanae vitæ.

Septimus liber, est de natura aëris: continet autem infinita, ut ita dicam, secreta: quorum vix duo aut tria ego tradidi. Ignota enim fuit illius natura, tum miracula, ad hanc diem usque, que sunt omni admiratione maiora.

Octauus, est de viribus aëris: continetque instrumenta supra quinquaginta, quæ aëris vi agitantur atque mouentur.

Nonus, est de imaginib[us] ex aëre: cuius nondum principia inuenta sunt: & est Facticium præstigiariū.

Decimus, est de Natura aquæ, Septimo proportione respondens.

Vndecimus octauo, & est brevis: quoniam ad machinas, cum comparantur, multa habent similia: attamen continent.

Duodecimus nono: & est materia pulcherima, de imaginib[us] in aqua.

Tertiusdecimus, est de ratione machinarum pondera trahentium, impellentiumque.

Quartusdecimus, de æquilibriis.

Quintusdecimus, de natura terræ, montium, arenæ, terræ fertilis, salæ, & huiusmodi.

Sextusdecimus, de natura & viribus ac substantia ignis, & materia illius.

Decimusseptimus, de machinis igneis miraculis.

Decimusoctauus, de his quæ in sublimi.

Decimusnonus, de loco, inani, tempore, individuo, materia prima, forma, motu & corporum repugnancia. Cuius pars in Primo libro De subtilitate à nobis tractata est: vt reliquorum omnium, in reliquis libris eius

Ope ris, tum de Varietate rerum.  
Vigesimus, de Inuisis: seu per Dæmonas, seu  
alio modo fiant.  
Vigesimus primus, de coloribus.  
Vigesimus secundus, de ratione videndi, seu  
optica.

Vigesimus tertius, de præstigiis.  
Vigesimus quartus, de admirandis operibus  
velut qui capillis eleuabat lapidem immensi  
ponderis: alius frangebat funes manibus:  
alius trabem ex humero in humerum alium  
transferebat, sine manuum auxilio, inde méto  
superponerebat: alius gladio præacuto, in-  
cumbebat, alius ensim acuta acie per  
vultum totum deducebat. Ascanius Neapolitanus,  
tria oua in nauicula prælonga, arctaque,  
vt cauo baculo circumducens, motibus di-  
uersis simul eos agebat etiam tertio quies-  
cente: unum quoque ruere conuersis capitibus  
præcipitem coegit. Idem, eum octreis, se-  
xaginta ouis in certa distantia collocatis, no-  
uem saltibus circumvolutus super ea, nullum  
frangebat. Alius paleas super ventrem  
scindebat gladio. Quidam lauant manus  
plumbi liquefacto, & lardum ardens distil-  
lant super manus nulla noxa.

Vigesimus quintus, de Oris præstigiis, atque  
alis huiusmodi.

Vigesimus sextus, de nodis. Extat.

Vigesimus septimus, de Ioni arcans. Extat.

Vigesimus octauus, de odorum secretis.

Vigesimus nonus, de Saporibus.

Trigesimus, de Tactus miraculis.

Trigesimus primus, de Mistione ac mistis.

Trigesimus secundus, de lapidum viribus:  
nam in hoc agitur de magnete. Extat.

Trigesimus tertius, de herbarum natura &  
viribus.

Trigesimus quartus, de arborum viribus ac  
natura.

Trigesimus quintus, de piscibus fluminum &  
flagnorum ac lacuum.

Trigesimus sextus, de piscibus marinis.

Trigesimus septimus, de quisquiliis ac reie-  
ctamentis.

Trigesimus octauus, de auibus.

Trigesimus nonus, de animalibus quæ ex pu-  
tri matera generantur.

Quadragesimus, de quadrupedibus quæ ex  
ouis generantur.

Quadragesimus primus, de serpentibus.

Quadragesimus secundus, de animalibus qua-  
drupedibus.

Quadragesimus tertius, de somno & vigilia.

Quadragesimus quartus, de cogitatione & vi-  
imaginandi, tum memoria.

Quadragesimus quintus, de præagiis ex his,  
Ectasi etiam, & habitu in corpore. Extat, &  
est pars libri Secretorum qui Quartus in-  
scribitur.

Quadragesimus sextus, de medicamentis ac  
potitionibus. Extat.

Quadragesimus septimus, de emplastris, vn-  
ctionibus, & his quæ exterius applicantur  
Extat.

Quadragesimus octauus, de destillationibus.

Quadragesimus nonus, de Chymica.

Quinquagesimus, de arte vitri & similibus.

Quinquagesimus primus, de metallis, ac vi-  
ribus eorum.

Quinquagesimus secundus, & est prolixus val-

de,

- de, de Metallorum separatione, perfectione, ornatu seu politura, compositione, & deductione ad opera.
- Quinquagesimus tertius, de metallorum transmutationibus in lapides, terram, olea, non usque missis.
- Quinquagesimus quartus, de Geometricis secretis. Extat.
- Qui nquagesimus quintus, de secretis Arithmeticis. Extat.
- Quinquagesimus sextus, de secretis Astrologicis. Extat, sed imperfectus.
- Quinquagesimus septimus de secretis per ludendi, & Rhetoricis.
- Quinquagesimus octauus, de secretis mutandi mores & mentem alicuius. Extat imperfectus.
- Quinquagesimus nonus, de secretis soluendi fascinationes.
- Sexagesimus, de secretis venereorum.
- Sexagesimus primus, de secretis generationis.
- Sexagesimus secundus, de secretis memoriae, & similibus.
- Sexagesimus tertius, de armorum secretis.
- Sexagesimus quartus, de secretis ad ornatum & fucos pertinentibus, vbi de constrina agitur.
- Sexagesimus quintus, de secretis ad vitæ diutinatem.
- Sexagesimus sextus, de secretis ad incolumitatem.
- Sexagesimus septimus, de secretis ad prudentialiam.
- Sexagesimus octauus, de secretis ad diuinationem ex Physiognomia, Metoposcopia, Chiromantia, naturalibus coniecturis.
- Sexagesimus nonus, de secretis dignoscendi mores hominum.
- Septuagesimus, de secretis custodiz familiae.
- Septuagesimus primus, de secretis compendij rei familiaris. Extat pars.
- Septuagesimus secundus, de secretis conservandi res.
- Septuagesimus tertius, de deliciis.
- Septuagesimus quartus, de arte quam Notariam vocant, & ascensi ad superiorem naturam, atque illius coniunctionem.
- Septuagesimus quintus, de secretis educandi filios. Extat.
- Septuagesimus sextus, de secretis inuentionis thesaurum, & absconditorum.
- Septuagesimus septimus, de secretis Architecturæ.
- Septuagesimus octauus, de secretis artis nauigandi.
- Septuagesimus nonus, de secretis artis militaris, vbi etiam iter agentium.
- Octuagesimus, de secretis artis textoriz.
- Octuagesimus primus, de secretis artis fabrilis
- Octuagesimus secundus, de secretis artis statuariae & picturæ.
- Octuagesimus tertius, de secretis artis plastices.
- Octuagesimus quartus, de secretis artis figurinæ.
- Octuagesimus quintus, de secretis artis sutoriz.
- Octuagesimus sextus de secretis artis veterinarie.
- Octuagesimus septimus, de secretis artis veterinarie.
- natoriz, aucupijs, & piscandi.
- Octuagesimus octauus, de secretis artis lignariz, & tornandi:
- Octuagesimus nonus, de secretis ludendi. Extat pars.
- Nonagesimus, de cognitione terrarum, & quid continant: & est magni lucri.
- Nonagesimus primus, de Facto, & finibus mortaliuum omnium rerum. Extat.
- Nonagesimus secundus de secretis ciuilis conuersationis.
- Nonagesimus tertius, de secretis aulicæ vitæ.
- Nonagesimus quartus, de secretis aduersus publicas calamitates.
- Nonagesimus quintus, de secretis ad commoda vitæ.
- Nonagesimus sextus, de secretis agriculturæ propriis, & admirandis.
- Nonagesimus septimus, de secretis præparandi lanam, gossipium, linum, sericum, pilosq;
- Nonagesimus octauus, est de secretis variis, & incerti generis.
- Nonagesimus nonus, de secretis impossibilium, quomomodo initium habeant: & aliquando videantur, sed inchoata tantum.
- Centesimus, De Secretis quorum genera adhuc ignota sunt.
- Plures quoque longè libros his construere in hac materia liceret. Sed his pro exemplo contenti fuimus. Manifestum est autem multa ex his à nobis tractata esse: sed non generaliter, nec perfectè: quæ autem latent, multo vtiliora sunt, & sine numero: quorum singula sufficenter hominem quidem alere possunt: plura verò ex his etiam ditare egregiè. Dicemus autem de his suo loco.

## C A P V T X.

*De comparatione secretorum in facilitate, & nobilitate, & utilitate.*

**D**icitur nobilia, pauperibus vtilia, occupatis & impotentibus facilis magis conuenient: neque enim (vt multi faciunt) divisiones divisionibus conuenire necessariò debent: vt si in finibus actionum sit vtile honestum & iucundum, vtile verò vtili conueniat, necesse vt honestum nobili & iucundum facili congruat: nam & nobilia secreta, vt honesta quandoque sunt, & non semper, vt venenorum præparatio, ita à iucunditate absunt. Itaque his inutilib. comparationibus relictis, de facilibus, nobilibus atque vtilibus agamus. Sed & hoc vtile multis modis dicitur, vel quod ad valetudinem, vel ad opes, vel ad potentiam confert. Nobile autem & facile simpliciter quasi dicuntur, & inuicem pugnant. Nobilia igitur secreta & à re & à fine deducuntur. Impetrare posse supplicationibus à Deo aliiquid, etiam exiguum sit quod impetratur, semper nobile est: vt etiam diutinitati vita consulere, quomodounque id eveniat, & per qualecunq; fiat auxilium. Manifestum est autem, quod vitarum omne genus & substantiarum separatarum nobilissimum est: quoniam ab ipso primo ente primò profluent. Corpora verò viliissima, in medio sunt separata, quæ ad corpus referuntur, vt mens, anima, s̄cūs: vtiliora corporibus sunt

accidentia, & magis corporea, & quæ minus manent: ut sonus luce. Facilia, quæ in rebus quarum copia maxima inuenitur breui negotiacione, & quæ non exactam mensuram requirunt. Vtilia, quæ ad multos usus, aut maximè necessarios, ob id vitam & sapientiam. Hæc enim maximè necessaria, vel ad lucrum: hoc enim omnes usus contine-re videtur: quandoquidem munus omnia sit in potentia. Quædam vero nobilia sunt, non vtilia: ut scientia de natura ceterorum: quædam vtilia, non nobilia: ut ex fimo equino lucrari multū quædā vtilia, & nobilia: ut magia, quæ vincere bellum docet. Seruatis libris in arca ænea, quoniam essent etiam publicati, ob metum sacerdotum, quod male sensisset de diis Aristoteles, nec falsus existimatione (perie-runt enim qui publicati erant) hanc tantam famam de se peperit.

## C A P V T XII.

*Quod homines ex huicmodi notitia in-  
ter ceteros eminent.*

**O**b id igitur homines, cum ad huicmodi notitiam perueniunt, inter reliquos adeo eminent, vt pro diis habeantur: cum tamen minimum sit quod norunt, & confusum & imperfectum. Contradicta multa & perfectè & pure norunt, & alio prorsus modo, atque nobiliore quam nos. Illud tamen exiguum homines beat, & maximè si plurim & nobilium aut utilium rerum scientiarum sit, vt etiam leges velint posse a principe peti, damnatum ad bestias ob singularem aliquam cognitionem. Sed leges quidem rectè forsitan: qui legibus vtruntur, perperam impetrantur, etiam de solo capitali crimen, ad quod nemo huicmodi qui sit, damnari possit. Sed principium clementia maior est: togatorum autem crudelitas ab ambitione proficiscitur. Omnes igitur qui huicmodi cognitione praediti fuere incliti euaserunt: alij quidem maximas opes congregando, aliqui summos sunt consecuti honores: at alij vtrunque. Sed si homines tam rudi sapientia praeditos admiramur, quid de diis, & quantum honoris exhibere debemus?

## C A P V T XI.

*Vera secreta in diis esse, proficisciique ex  
intima rerum cognitione, qua  
nos caremus.*

**P**orrò vera cognitio secretorum ex causis rerum proficiscitur, eaque sola est in diis. Hi enim solum intima rerum intelligentia: nos autem exteriora tantum, & procul etiam ob id naturalia secreta pauca nouimus ex innumerabilibus: atque illa pauca, ex Mechanica potius, atque experimento, quam contemplatione atque scientia. In quibusdam autem, velut Mathematicis: quoniam ibi per causam scimus, etiam secreta plura nouimus. Et si plura haberemus principia, multo plura etiam sciremus. Mathematicæ enim magis cognitæ sunt hominibus, quam naturales: quæcumque igitur ad Mathematicam rationem perduci possunt, notiora sunt nobis: velut machinarum, ratio, & vasorum, per quæ aer & aqua diffundunt: in eiusmodi enim homines ad magnam cognitionem deuenierunt, plurimaque secreta inuenire. Claruit autem, præter reliquos, in his Hero, post Archimedem. Omnia autem huicmodi ex ratione Mathematica, pendent, naturalibus principiis innata. At in naturalibus putis pauca, ob causas enarratas, secreta patuerunt: & quæ innouerunt, casu & usu inuenta sunt: videtur autem conuersa via procedendi in naturalibus puris, ex experimento ad rationes progradientibus in machinis, ex ratione ad experimentum. Ignorantur autem pleraque in Mathematicis, ob paucitatem cognitorum principiorum. Duobus enim aut tribus inuentis principiis, una tota ars constituitur: quod fecisse videmus plures Archimedem. Quæ igitur in naturalibus inuenta sunt, quasi vulgata & minus nobilia sunt: quoniam casu quodam & experientia inuenta sunt: videtur autem nostra natura ob id parum Diis chara, quod nihil huicmodi à Diis cognitum accepimus. An forsitan expedit: quoniam parum curantur. Sed hæc alterius considerationis sunt.

## C A P V T XIII.

*Quod que in uno secreta sunt, in alio  
non erunt aliquando.*

**P**orrò cum, vt diximus, secreta pleraque scientia & usu constent, & quod raritatis causam secreta continere necesse sit: raritas autem non solum in re vel affectu, sed etiam in magnitudine, pulchritudine, perfectione atque facilitate constat: liquet idem apud diversos & Secretum esse, & non esse: vt etiam in his qui aleam pro arbitrio iaciunt, Secretum est agilitas illa manuum, cum tamen omnes aleam iacent: atque in curatione exusta partis, cum cicatrix nulla appareat, Secretum est: cura autem vulgaris. Igitur in cunctis rebus secreta inuenire licet: nam vulgata & communia sunt res & affectiones: etenim generare vermem ex saluia, electrum confidere, res est: affectio autem, fuluum reddere aurum, & splendens terebrare ferrum: at multum ferrum citè optimè terebrare, Secreta res est, cognitione atque usus.

## C A P V T XIV.

*Secreta si euulgantur, nobilitatem &  
decorum amittunt.*

**S**i igitur secreta euulgantur, cum com-munia fiunt, decorum & nobilitatem amittunt:

amittunt: nobiliora enim existimantur, quæ docent affectiones: nobilissima, quæ res. Porro magnitudinem, perfectionem, pulchritudinem, facilitatem docere, minus est. Facilitas & multitudo utiliora sunt perfectione & pulchritudine: hec autem nobiliora. Licit ergo scientiam horum apud se retinere, ut preciosior habeatur, cuius nulla pars communis est. Quæ enim in uno solo sunt, perfectiora sunt: quoniam unum melius est quam multa, ut alias docuimus. Primum igitur querendæ sunt res, velut metalla, lapides: post, affectiones: at post haec, si ad utilitatem respicimus, multitudo & facilitas: quemadmodum qui chrysocollam: si vero ad voluptatem & præstantiam, perfectione & pulchritudo. Est enim pulchritudo voluptatis, præstantia nobilitatis fundamentum.

Porro res aliae sunt, aliae corrumpuntur: & in hoc magnus est virus: ut lapidem frangere in vesica, & nebulam ex oculo detrahere: quæ autem extra hominem, vobis muros dicuere. Oportet autem in difficultibus, quæ magnam habent utilitatem, eligere: ne, ut in prouerbio, pescemur hamo aureo. Medici autem antiqui suas compositiones occultabant, ut pro secretis haberentur: pulcherrima etiam nomina addentes. At non occultando secretum fit: sed secretum occultari meretur.

Querendum est igitur, occultata compositione, quæ vires aliquas egregias habeat, an pro secreto habenda sit, cum similes alias haberent, licet non eodem pondere. Dicimusque, quod non nisi magna sit exuperantia unius aut duorum medicamentorum, in ea in comparatione ad alias: quæ si adsit, pro secreto haberi potest, suffragante opere. Ceterum si discrimen non adsit magnum discrimen operationis ex electione simplicium medicamentorum contingit. Quare diligenter huiusmodi medicamenta paranda sunt: aliae ne existimes, ex minimis magna oriti: sed magna solùm ex magnis sunt & varietates magna magnis etiam ex discriminibus. Quedam vero addita scrupulose, eorum medicorum improbitatem declarant: ut si theriacem ligno salicis agitandam doceant. Excusat, quod opinio ægri plurimum facit ad sanationem. Verum illas addere siliquas, curiosi hominis est, & sophistæ potius quam sapientis.

mur: sed causam eandem turpitudinis docuimus. Ostendere tamen oportet, horum ob accusationem generalia præcepta & esse, & utilia esse: nam quemadmodum Galenus in libris primis quinque de simplicis medicamentis, quæ solù experientia imperfètè nota erant, ad trutinam ducit, & generaliter & perfètè & cum ratione deduxit: ita etiam in obscuris facere vtile est.

At dicent hi: Vtile certè erit, si fieri possit: sed negamus fieri posse, ubi abditæ, non videntur in secundis ac tertii qualitatibus quæ ex primis pendent, causa nota fuerint. Nos verò causam in quibuscumque esse non dubitamus. Sciri etiam posse proximas, si non primas, haud dubium est: propter quod etiam de magnete exemplum invenitionis causarum doccebimus.

Primum ex universalibus ad propria descendemus, erunt autem propria, tanquam prima quædam principia. Seligemus autem principia ex experimentis & rebus generalibus, sed non generalissimis. Velut in mathematicis non assumimus in coni, cylindri ac sphæra comparatione principia illa: Omne totum maius est sua parte, & Quæ vniæ quantur quantitatibus inuicem sunt æqualia: nam haec iam Euclides assumpit, & sunt generalissima omnibus quantitatibus. Sed neque propria conis sphæra & cylindro tantum: haec enim principia esse non possunt: quia omni quantitatì non conueniunt essentia demonstranda: sed est quoddam medium, scilicet ut omnibus quantitatibus certam rationem seruantibus congruant: ea autem ratio conuenit conis atque sphæra, & per illa etiam cylindris. Itaque ex generalibus omnis doctrina procedit, imò generalissimis: sed huiusmodi quædam sunt, quæ certam rationem exigunt: dicique possunt principia partium, seu propria illius disciplinæ. In naturalibus vero, cum rara queramus, etiam raras quædam materias assumere oportet: & ut in mathematicis circa partes quædam tentamus inuenire demonstrationes, quod haec sint principia sciendi in illis: ita in Philosophia tentabimus inuenire experimenta: quomodo autem, nunc dicemus:

## C A P V T XVI.

*De translationibus, aliisque propriis modo secreta inueniendi.*

Ergo à translationibus inchoandum est: velut à mentis affectionibus ad humores, à lapide herculeo ad alios lapides, ut argentum aut æs trahant: & cur hoc, non illud: discrimen inter ipsum herculeum lapidem & succinum, quod omnia trahit: sympathia, antipathia: simile, dissimile: alimentum, exitium: Alimentum quidem trahere omnia, omnes intelligunt: cur, nulli (propter pudor) nam calida & sicca, & frigida & humida, & contraria & similia trahuntur: & tamen una ratione, unus finis una ergo forma, unum agens, una agendi

Z z 3 ratio:

## C A P V T XV.

*Quomodo ex universalibus ad propria in inquisitione deueniendum.*

Operari, porro & imperiti ob id non solum superfluam hanc curiositatem contempseré, sed etiam generales rationes putant secreta sola experientia & usu constare, rationem superfluam esse obiciuntque (quod recordia, ut dixi, priorum Philosophorum accidit) nullum horum superciliosorum ne vel obliorem arcanam quidem unquam inuenisse: quod & verum est, & fate-

Tom. II.

ratio: & est ut sit humidum, calidum, simile. Principia enim mortalium rerum hæc duo, calidum atque humidum, esse docuimus. Simile autem, non eiusdem speciei: nam cum potentia idem sit, si simile sic esset, non mutaretur, aut si mutaretur, ex eodem in idem, & ita non mutaretur. Quatuor igitur cum vnum esse necesse sit, vel ut nulla fiat mutatio, vel ut ex uno in aliud, numero tantum diuersum fiat: aut ut mutetur, idemque maneat: vel ut diuersum specie sit, tribus primis quæ esse non possunt sublatis, quartum solum superesse necesse est. Quæ igitur sic similia sunt, trahuntur: quæ exitio sunt, fugiunt, quod sensus quidam in his insit conuenientis atque contrarij: ventriculus bonis herbam concoquit non carnem: lupi carnem, non herbam: vnumquodque igitur ob similitudinem, non mollitatem. Est hæc sympathia in rebus, & ad sonos usque progreditur. Quæramus ergo, quis finis? Mutatio certè: nam ante eadem nobis sunt. Quæramus ergo mutationem. Hæc à similibus aut contrariis progradientur. Sed est simile istud, aut contrarium, per se ignotum. Qui lapidem habet in vesica, querit sandū ut exteratur, non ut augeatur: id sit à contrariis, non à similibus: contraria sunt, quæ molliunt, quæ incident, & quæ proprietate quadam id agunt. Incident, autem acida, & amara, & acria, & motus: molliunt humida. Quæ autem frangunt proprietate quadam, alia quidem genere conueniunt, alia autem dissident: sed operatione similia sunt. Ratio nos dicit, experimentum autem docet. Similia sunt lapides, & mixta terrea, quæ & metallica dicuntur: potestate autem, quæcumque ex ipsis lapidibus nascuntur: ut parietaria, petroselinum, iuncus marinus caprificus, scolopendra, saxifraga. Hæc igitur si calore animalis attenuantur, magis agunt: calidissimum animal est columbus. Destillata rursus dividunt, & comminuant: indicio est aqua ex alumine & sale nitro detracta, quæ argentum colliquat. Si addatur ærugo, adhuc acrior est: sed alia est ratio metallorum & humidorum, alia seccorum & lapidum, quos terrere oportet.

Conuenit igitur, ut lapides qui hoc possunt, qualis Iudaicus feminina, & stercus columbi, depasti his quæ lapidem communuere possunt, & vitrum, & oppositæ extremitates integumenti cochlearum, & radix herbacea parietaria in carbones redacta, & lapides astacorum fluvialium in aquam redigantur: nam si sic ut sunt exhibentur, vix permeare poterunt, sed per aluum secerentur: quoniam ob antipathiam à jecore non trahentur: & si trahantur, non poterunt communuere adeò, ob crassitatem: & periculum est ne lapidi agglutinentur, augeantque illum. Ea aqua limunij fructus succo mixta, quod is rex sit dissecantium, & saccharo ob sympathiam iecoris mixta, & epora in balneo, vacua iam vesca, vel per catheterem immissa, hoc efficere poterit. Laudant in hoc scorpiorum etiam ciperem, quem ob difficultatem habendi prætermiseram. Manifestum

est igitur, cur omnia, & quomodo ad sympathiam & antipathiam, præter instrumenta, reducantur: & quomodo mutatione est quod querimus: mutatione autem ad finem. Idem quoque alio exemplo, in his quæ sunt extra nos, declarabitur.


## C A P V T X V I I .

*De exemplo inuentionis causarum in lapide herculeo.*

Quæret forsitan aliquis iam in his quæ extra nos sunt, hoc exemplum. Diximus enim, secreta versari aut circa mutationem animi, aut corporis, aut vitæ producendæ rationem, & cætera quæ superius commemorauimus, quorum principia sunt: quatuor: sympathia & antipathia, instrumenta, commotio mentis, & manuum agilitas. Principia enim aut sunt res, ut Deus, cælum, & mixta: hæcque simile per sympathiam, & contrarium per antipathiam operantur aut artificia, & instrumenta: aut homo secundum animam, cœlius operatio est cogitatio: aut per corpus, & est manuum agilitas, ex qua pendent præstigia. Mathematica autem in sola contemplatione versantur: ut in vniuersum sint principiorum quinque genera. Quod si diuinum illud, quod magis à cæteris distat quæ omnia reliqua, inter se seorsum constituantur, imò primum (quandoquidem quomodo assistat precantibus incertum sit) erunt omnino sex principiorum genera. De sympathia igitur atque antipathia herculei lapidis dicamus, vniuersa recolligentes quæ superius à nobis dicta sunt. Supponamus ergo quod lapis hic ferrum trahit: & quod parte una ad Boream illum, altera versus Austrum, à latere tamen, dirigit: tertium, quod simile simile trahit: contrarium autem abigit. Hoc autem axioma est generale: nec huic lapidi solùm, sed omnibus (ut dixi) naturalibus rebus conuenit. Quartum etiam naturale axioma est: Quæ trahunt, si trahe-re non possint, accedere ad ea quæ conueniunt. Quintum etiam generale est axioma: Quæ coniunctæ sunt, trahi necessariò, dum ea quibus coniunguntur, trahi contigerit.

Ergo ex duobus tantum suppositis, experientia ipsa comprobatis, & tribus axiomatis generalibus, vniuersa quæ in hoc lapide videntur, causam notam habent. Siquidem quod ferrum trahat etiam procul, sequitur ut eo magis continuato contactu. At verò affricatus ferro, vim & partes tenuiores illud imbuat, quo ferrum trahat. Verum statim hic occursit: si sympathia vel nutritionis causa ferrum trahit lapis ille, vbi iam in ferro corpore refederit, ut elementa fine adepta, amplius trahere non debet. At non est idem de loco & attractione: vis enim illa nunquam expletur, nec desiderium ferrum trahendi. Et tantum est propinquitas naturæ, tā mutuus ille consensus. ut cibibita illa vi ferrum in magnitudine transcat: indicio est, quod trahit pro ferri magnitudine:

tudine: gladius enim, non acus lapidi affrica-  
ta, clavum exiguum trahit. Cum vero lapis  
contrarias vires habeat, si contrariis motibus  
ferro affricetur, utramque illi vim imper-  
tit: atque ita cum contrarie sint, abigit  
& trahit: quare perinde est ac si non trahe-  
ret. Delatus ergo etiam ultra æquinoctij  
circulum, easdem vires seruat ad vnguem:  
neque enim lapidis natura mutatur, nec si-  
tus, sed locus. Qua ratione, ut dixi, ad An-  
tichthones si feratur, sinistram poli partem,  
non dextram respicit, ut demonstratum est.  
Vbi ergo lapis ferrum ob magnitudinem  
trahere non potest, quasi vinculo annexus,  
vbi distenditur, illo se retrahente, lapis, si  
exiguus admodum sit, à ferro trahitur. Sit



lapis b, ferrum: a, b, vinculum sit breuissi-  
mum: quia b, trahatur ab a: cum ergo ob  
pondus trahi non possit, nec separari ab  
extremis in medio contrahitur: quare, a, ad b,  
trahitur, & tandem ad ipsum peruenit. Cum  
ergo lapis ferrum cupiat ad boream dirige-  
re, quod opposita parte contactum est, ut  
in eptum huic negotio, respicitur, atque re-  
pellitur. Quod si ab utraque parte tactum  
fuerit, totum ut inutile repellitur: si ab  
vina tantum, dum appositum ad se trahit,  
illam abigere videtur. Cum vero magnes  
ferrum trahat, & in ipso quædam ferrea nō  
nunquam partes sint, non nunquam etiam  
magnes magnetis frustula rapit, & maxi-  
mè ferro imbuta: trahit ergo magnetem  
eiusdem partis ferro imbutum, & ferrum  
repellit contraria magneti parti afficatum:  
& è contra etiam contrariis ex causis: at-  
que ita utrumque repellere vel trahere po-  
test: vel vnum trahere, aliud repellere.

Porrò de argenti attractione alia est quæ-  
stio. Sed fieri potest ut alia sit eius species:  
nūni enim ære potius quam ferro & argen-  
to constant. Verisimile enim est, & simile  
quipiam in herculeo lapide latere, quod  
perfectione argento respondeat. Aut forsitan  
imbutus lapis argentei vi, argentum trahere  
potest. Idque, si sit argentum lapide im-  
butum, trahet argentum aliud. Arque ita  
multiplices illæ vires ex hoc uno pendent,  
quod lapis altera parte ad boream, altera ad  
austrum ferrum dirigat, cum tribus illis na-  
turalibus axiomatisbus.

Iam omnia proptermodum manifesta sunt,  
præterquam quod difficillimum est: ut vi-  
dear morem omnium Philosophorum &  
Medicorum sequi, qui clarissima nimis mul-  
tis explicant, difficilia ita prætermittunt, ut  
in eorum codice quis definisse omnino cre-  
dat. Est ergo illud difficillimum, cum non  
ad polum, sed ad orientem partibus seu quin-  
que seu novem speget. Dices: Et tu quod  
leue est experiri neglexisti? ob id sane po-  
tui: quia una eademque ratio est amborum:  
nec existimo eandem seruari in omnibus di-  
stantiam, sed validiores lapides longius di-  
rigere. Ergo cum stella quæ polo proximior  
est quinque partibus ab ipso polo, vel pro-

pè distet, ad ortus sui punctum ferrum di-  
rigit lapis, quod is punctus maximum reti-  
neat vim. Indicio erit, quod cum stella il-  
la declinationem atque distantiam à polo  
euariet, variabit & distantia. Dices: Non  
oritur nobis? Respicit punctum ortus sui in  
sphera recta, loci in quo innenit: velut  
cum est Papiræ, ea distat ab occidente parti-  
bus xxxi. sub æquinoctiij circulo, respiciet  
locum ortus stellæ in finitore Arealies mon-  
tis Mauritaniae, qui fermè est sub circu-  
lo æquinoctiij: & à Fortunatis, partibus  
xxxii. distat. Ex quo patet, quod in diuer-  
sis regionibus diuersa cœli puncta acus re-  
spicit: sed semper in æquali à polo di-  
stantia.

Rursus, ut dixi, aliqua est differentia in-  
ter lapidem & lapidem, quam pruden-  
tem nauclerum dignoscere expedit, atque  
omnia ad meridiem lineam referre, que in-  
mobilis est, & in pyxide à linea eiusdem  
lapidis semper æqualiter distat: aliter ali-  
quis error necessariò contingit. Tertiò ne-  
cessè est, ut hæc stella locum variet, atque  
distantiam: nunc enim est valde proxima  
polo, cum sit in xxii. parte geminorum:  
cum autem erit in fine sagittarij, distabit à  
polo partibus xlvi. Et si contendas, non  
esse hanc stellam propter distantiam à polo,  
que non concordat, & velis esse aliam ex  
octauo orbe visam & cognitam, aut altio-  
rem quam ut videri possit, non contendeo:  
modò scias, respicere magnetem punctum  
finitoris recti loci è regione in quo est, vbi  
fidus illud exoritur.

Ex quo patet, aberrare illos, qui genera-  
les rationes secreta perquirendi putant esse  
inutiles: non minus his qui totam artem  
ad generalia & rationem traducunt. Sed  
neccesse est rationibus experimenta excole-  
re, distinguere, declarare aut rationibus  
inuenta, experimentis confirmare. Sed hoc  
omisisse, maior est error, hominésque ri-  
diculos facit. Neque enim quisquam fate-  
retur, palam ferream ponderis centum li-  
brarum, ferri tanto impetu per quinque  
millia: sed diceret, puluerem illum non ar-  
surum, aut non simul: aut ignem cogi posse  
facilius, quam tantum pondus eruptum:  
aut eruptum quidem, sed statim  
imperum illum cessaturum: aut, quod ve-  
risimilius esset, machinam etiam multo craf-  
tiorem disruptam: ut omnia facilius  
euentura credamus, quam quod videmus  
quotidie: & tam inuolatum seruati. Con-  
trà ratio multa docet his verisimiliora, que  
experimentum docuit esse inania.

#### CAPVT XVIII.

##### Quinam apti ad secreta inuenienda.

**N**on ignoro aliquos dicturos, id esse non  
posse, quod scripsi: deceptum meque  
esse, cum culpis finitoris punctum obliqui,  
vbi lapis est, respiciat: non autem recti,  
quod verum est: sed id tamen anguli illius  
seruata ratione contingit. Ob id secreto-  
rum inuentores iuxta naturam principio-

rum solentes esse oportet: in Physicis quidem, iudicio atque experientia pollere: in Mathematicis autem, ingenio, atque eorum peritia: in artificiis, quæ mistione constant, sensu & ratione coquendi, ac experientia: in præstigiis falsis, manuum agiliter, atque sagacitate instrumentorum: in his autem quæ à mente proueniunt, imaginandi vi præclara: ea enim est adeò potens, ut in nobis multa possit. Somnia facit, humores ac temperaturam mutat, dirigit, aberare facit, multaque alia præstat.

Forsitan & in leuioribus animis, ut puerorum & mulierum prægnantium, aliquid imprimet. In his enim quæ à Deo, ut iustitiam colamus: ea enim propriè, ac penè sola nos ei conciliat: omnes insuper studiosos, diligentes veritatis amatores, graues, ingeniosos, & qui multa videant, perlegant, audiant, animaduertant: Dialecticam autem, atque librum hunc, scilicet primum & secundum librum de secretis, non semel, nec perfunditorie, sed diligentissimè ac vicies perlegant atque considerent. Plura enim longè in eis continentur, quæ prima fronte videantur. Aspiret & diuinus fauor, sine quo omnia nostra irrita sunt. Quo fit ut adducar, postquam (ut dixi) non videam qui diuinitatem vel à dæmonibus de huiusmodi monitus sit, præterquam Alexandrum, Romanamque mulierem: aduersus serpentum illum hanc canis rabidi mortum: nec postea in usum talia prodierint, nec constans fuisse secretum (fallente plerumque experimento) videatur, admonitionem hanc à diis nobis lumine rationis insinuari, ut ad meritos dona diuina perueniant.

Sed dices: Si diuorum numine ista inuenimus, cur machina bellicæ non in eædes & meliorum iacturam inuenta sunt: tum venena, atque huiusmodi? Itaque rationis lumen omnibus à Deo datum est, & locuples quidem ad bonum. Forsitan verò & dæmonum malorum commercio huiusmodi inuenta sunt: mali enim dæmonis profectio est, huiusmodi quæsisse: aut forsitan liberum est hoc nostrum. Fauor autem numinis est, copia mentis, & bonorum desiderium: non lucri, aut ambitionis, vel vindictæ. Cui acquiesco.

### CAPVT XIX.

*Quæ secreta olim nota, nunc ignota: & nunc nota, ignota olim.*

**Q**Uæ nuper innotuerint, olim ignota fuerint, difficile est ob multitudinem numerate. Stapedes (ut dicunt) in Ephippiis: vitrum varium, & lineis interstinctum, tum quod crystallinum vocatur ob splendorem & perspicuitatem: specula vitrea omnia, sed rotunda paulò sunt antiquiora: olim è chalybe omnia conficiebantur. Horologia cum mola, & cum ponderibus: sed hæc paulò antiquiora. Purpura nostra, & colos ille quem à splendore vulgus echermesinum vocat. Serici ars antiqua est: amissa paulò potest, nunc ob copiam noua dici potest. No-

læ, pyxis nautica, Typographica: sed hæc apud Indos iampridem in usu fuit: machina ignea, vitrea organa. Sed ex omnibus utilissima tria: pyxis nautica, Typographica, ignea machina ad summam admirationem: tum detecta horum auxilio reliqua orbis pars, omnibus incognita antiquis, quæ maior est longè illorum notitia. Nam numero pares fermè sunt: amissa purpura vera, & quinqueremum constructio: quamquam à Fausto maximis laboribus due atres fabricatae apud Venetos. Hydraulicæ organa, & horologia inæqualium horarum, & electrum metallicum tam naturale quam factitium. Arietes ac testudines: sed hæc non tam amissa, quam contempta, ut inutilia. Gemmarum adulterinarum alterius generis compositio. Et si fides Plinio habenda, ductile vitrum: nam nostrum calidum tantum duci potest. Ex simplicibus amissa plura nobilia: Balsamum, cinamomum, amonum, malobathrum, aspalathum, narcaphtum: & inter thymiamata, cyphi compositio. At contrà, plura & meliora eminia inuenta, uno excepto balsamo. Moschus, ex animali Zibethum: ambra, sandali, si ab aspalatho differunt. Manna, et si nomine Galeno nota, cassia nigra, mixa, myrobalani, rhabarbarum, tamari, garyophyli, nux Indica, nux myristica, masticis: quamvis macerem quoquo modo Galenus agnouisse visus sit. Multa alia nostra ætas inuenit, ut cælare ferrum: in quibusdam superatur, ut in nummis quos medaglias vocat vulgus, cūdendis cuneo: nam nostro tempore liquato metallo fabricantur: qui typis cūduntur, longè sunt inferiores.

### CAPVT XX.

*In verbis scriptis, aut figuris, nullam esse vim magicam.*

**P**ORRO multi de imaginibus & præcanticionibus verbisque maximè incognitis & inconditis dubitariunt, an his aliqua inesse vis? Quid si dæmones essent qui hæc intelligenter, ex pacto quadam (ut aiunt) cieri possent. At nondum compertum est verè, an sint dæmones: & si sint, an huiusmodi intelligent, quæ non ex natura, sed hominum consensu orta sunt: non enim quid sint excellentioris ingenij, sequitur confessim ut nostras nugas & commenta intelligent: homines enim formicarum consensem, ordinem, partitiones non intelligunt: nec tamen sequitur, eos formicis ingenio esse inferiores. Alias docuimus, mentes superiores non nostra verba, sed mentem intelligere: ob id uno modo omnes intelligent linguas, & respondent vnicuique propria lingua: quia in animo principium verborum illorum, id est cogitationem fingunt, quæ illis ad verba sua lingua prolata referuntur. Et si intelligent, non necesse est illos commoueri ut agant quod perimus. Sufficietque petitio clara & ornata, si quid argumenta possunt, ut apud iudices rhetor aut orator. Sed non videmus quenquam quicquam

quam impetrasse. Cæterum semotis his palam est verbis & imaginibus nullis profrus inesse vires , cùm sint qualitates ab omni actione semotæ : operantur autem apud illos à quibus intelliguntur, significatorum ratione , aut repræsentatione , vt illud :

*Multa gemens, largoque humectat flumine vultum :*

*Dum miraretur Aeneas casus Troia depictos.*

Itaque in his secreta querere superuacuum est. Verum in aliquibus ob firmam cogitationem & spem magna operantur : sed alia corum loco, si scribas.

huiusmodi secretum septem millibus aureorum coronatorum venditum Ludouico Sforzæ, Mediolanensium Principi, homini generosi , sed inconsulti animi. Cæterum de his qua ad diuitias, nunc dicemus: in his enim & potentia & ornatus intelliguntur.

+++ +++ +++ +++ +++ +++ +++ +++ +++

## CAPVT XXII.

*De utili secreto, quo conditiones habere debeat.*

**C**æterum id docere non tam facile est, vt quidam arbitrantur: imò è nostris quidam ob id obiciunt, quod cum alios doceam, non inuenirem hucusque tantus natu. Sed inuenisse innumera secreta me planum est. Vnum verò, quale expedit et studio & maximè senescenti inuenire, haud pronum est: nam plura requiruntur , vt tale sit. Primum, vt non sit fallax : multa enim ad motbos diversos circumferuntur , quæ sanant : vt pestem , lapidem vesicæ persæpe frangi solius vrticæ vñus, & magis feminis Augusto mense collecti : alia circumferuntur aliter quām sint. Persici arbos , exenterata medolla, non sine osse (vt ferunt) sed sine nucleo, fructus producit.

Oportet etiam lucrosa esse: vnde præstigiariū secrēta ad propositum nostrum parum conducunt. Tertiū, oportet esse utilia humano generi: vnde non venena, non machina docendæ. Quid enim (rectè inquit Christus) prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ iacturam apud inferos patiatur? Oportet præterea esse lucri magni: nam exilia lucra dum hominem retrahunt à negotiis consuetis , plus afferunt damni quām vtilitatis. Quintum, vt sint rei venalii: qui gemmarum folia, & similiū (vt vocant) facere norunt, tametsi maximo cum lucro (quia parua quantitas prouinciam replet) fermè elsurint.

Oportet etiam , vt non sint diuturnæ expectationis: vt qui myrrhina vase sepeliunt, aut balsamum, aut adamantino lapides: quorum vñus frequens, lucrum ingens, sed vel ad nepotes fructus peruenit, aut saltē ad senectam vñque , vbi omnia ingrata sunt. Septimū, ne magni negotij opus sit: nam nondum expertis, & multis ministris, seu negligentia, seu imperitia aut dolo aliquid perierit , lucrum non solū, sed fors etiam decidit.

Nec si in fôrda re collocetur, decet hominem iam nobilem in illo versari, vbi diligentia turpis est, negligentia dannosa. Et si non succedat , fabula vulgi. Demum, quod maximum est, tale esse oportet, vt cælari possit: hoc in magna negotiatione vix fieri potest: sic detecta specula , Typographicæ, machinæ, folia gemmarum. Si lucrum magnum esse debet, magna merce opus est: multitudem hanc non nisi multa materia efficere licet: sunt speculatoræ vndique ministri, & pecunia corrupti, vbi lucrum ingens prospicit: vt latrare non possit. His tot causis difficultum est secretum inuenire præstans, multa ignobilia facile est.

## CAPVT

## CAPVT XXI.

*De fine eligendo.*

**O**portet ergo finem primum , si possumus, eligere: quandoquidem, vt dixi, à fine omnia diriguntur. In morbis ergo non oportet breves eligere : quoniam antequam te inuenient, occasio dilabitur: putant etiam se fortuna sanatos. Neque qui facilè sanantur : nam tuta via in his præferri solet. Neque lethales : nam morituis nullum profrus auxilium confert. Sed vel pestilentes, quamvis brevis: vel eos qui eti curari possint, cura tame inuisa est, ob periculi & noxæ magnitudinem : vt hernia, in qua curanda castrantur: vesicæ lapis , nebula in oculo confirmata, surditas, comitialis, podagra confirmata, sideratio, sterilitas, hydrops, elephantiasis, carcinoma, vlcera chironica , carneæ moles : gulæ hernia, quam Bozium vocant: melancholia , tabes qualiscumque , varices: virgo vrinæ, vel impedimentum : impetigo, contractio membrorum, vertigo, tinnitus, impotencia ad venereum, morbus Indus. Sed ex his præstantissima , quæ curant morbos perniciosos , affiduos , & dolorem afferentes : vt vesicæ lapidem , & carcinoma , hydropemque: post herniam, oculi nebulam, melancholiæ & comitiale: post sideratos , contractos, tabidos: inde reliquos.

De vita diuinitate illud nobis solum vtile est : nam antequam hominem ex sexagesimo anno ad centesimum ducas, tu si trigesimum annum agas, leptuage sum ante peruenies: quid sit , vt antequam fides tibi habeatur, senescendum sit: & forsitan aliquo casu tu ipse, vel ille in quem experimentum feceris, subtrahetur. Itaque vel nunquam fractum ex hoc tuo secreto consequeris , aut valde serd: & si tam serd, forsitan præstat non percipere: occasio enim intempestiva gaudiorum & voluptatis potius discruciat hominem, quām delectet. Sed quæ occasio potest hominem septuagenarium , etiam si bene valeat, oblectare: Quid voluptatis lucrum aut gloria afferre potest ? imò potius dolorem, cum partis vñ nequit : & aliis, à quibus occulte odio habetur , parare cogitur. Poterit tamen, si à patre qui experimentum dederit, id accepit, auctoritate patria gaudere: tum quibusdam votis præoccupare: vt cùm senex melius concoquit, videt, audit, ad vencrem promptior est. Audiui equidem à patre meo,

## CAP VT XXIII.

*Quæ secreta inueniri nequeant.*

**O**b hæc multi multa mentiti sunt: gemmas, aurum, argentum facere polliciti, & inuisum hominem: quæ potius ridicula sunt nasutis, quam admiranda imperitis. Species rerum non possunt transmutari: vt non ex ovo-bos, ita nec ex ære aurum. Quæ affinia sunt, vt æs & ferrum, transmutantur: quoniam differentiæ quibus distinguuntur, magnitudine sola differunt: vt color, durities, pondus, & perfeuerantia apud ignem. In gemmis ad speciem, ex durioribus ad molliores, est transmutatio, non contraria. Ad perfectionem ducere, naturæ solius opus est: secare, tundere, polire, molle reddere, artis: vtitur autem homo persæpe natura tanquam ministra: quod si fiat aptè, plurimum utilitatis afferit. Propterea ad perfectionem ardua via, ad corruptionem prona & facilis. Volare quidam cupierunt, nonnulli etiam tentarunt: ad machinas hoc pertinet.

## CAP VT XXIV.

*Coniectura pro secretis inueniendis.*

**O**b id ergo coniectura assequi decet, que facile possint inueniri. Atque primùm in singulis generibus quæcumque iam inuenta sunt, facile ad perfectionem deducuntur: velut metallorum separatio, illustratio, ceteraque huiusmodi: & in quibus iam apparet miraculi species, vt in herculeo lapide: & quæ iam raritate sua conspicua sunt, & admiratione digna, velut cephos & crocuta inter quadrupedia, Nereis & Triton inter pisces, muscaria & solanum maniacum inter herbas, inter lapides opalus & eumece. Aut quæ forma sunt admirabili: vt napellus, cuius flos conclusus capitis mortui imaginem refert, cum herba præsens sit venenum: & scorpioides aduentus scorpionum iætus, & orix ac rhinoceros: vel ortus ratione: vt iuncus, qui ex lapidibus ipsis in mari Britannico nascitur: caprificus, sed hic inter lapides: & filicis semen (de quo ita Hieronymus Tragius: Tametsi namque omnes qui de herbis scripsere, filicem neque se men proferre assertant tamen rem aliter se habere non semel ipse comperti, quod hoc loco in gratiam studiosorum herbariæ rei commemorandum duxi. Nam cum quaternis annis ex ordine in vigilia, vt vocant, festi Ioannis Baptiste noctu id semen indagare constituisse, inueni summo mane, antequam illucesceret, nigrum, exiguum, papauerique haud absimile semen, quod vt colligi posset, expanderam prius sub filicibus pannos, & verbasci folia. Multæ autem filices nullum semen redabant, cum sub aliis vicissim singulis centena liceret semina legere. Ceterum ad id negotij nullis characteribus, nullis coniuratibus, nullis periculis, nulla denique superstitione vsus sum: sed circa huiusmodi Ma-

gicas vanitates semen hot, duobus aut tribus comitibus stipatus, igne per viciniam eam incensib, totaque nocte flagrante quæfui, quæsitumque nonnunquam inueni: nunc multum, nunc parum colligens. Quare verò hæc diuersitas contingat, aut quid in ea re natura velit, mihi sanè non constat. Sic & virgilias ad aglaiphoditem obseruabis, & quæcumque peculiarem cum sideribus coniunctionem habent. Quibusdam ex proprietate, vt lynx. Sed lynceum falso ceruarum lupum Galliæ familiarem, chaum Plinij, esse credunt, cum sit Æthiopiæ bellua: nec tam diuersis cœli partibus eadem eriri potest. Tametsi Virgilius in Eclogis, lynxes Arcadia donet. Hac fera nihil oculatus, vt nil chameleonte timidius. Aut ex consensu & inimicitia, & operationibus: vt ex equæ femine, ac collunie canis, dum in venerem efferrant, turgent. Itaque singula rara rimirari oportet: vulgata autem, si quid sit admiratione dignum, dum se produnt, viam facilem ad alia secreta inuenienda promptè pandunt ac docent. Tum verò & animalium medelas, aut hirundinum effossis pullorum oculis, & huiusmodi. Generaliter autem omnia venenata viuentia magnas vires habent. Et ideo si quis bufonis vires aestimet, magnam pariet apud illum admiracionem. Sed vt magica, ita periculosa sunt auxilia. Quædam à forma figurâque, veluti galiopsis radix altera hæmorrhoidas solo contactu sanat, altera strummas: sed epota etiam, & insuper emplastri instat apposita: astacorum caro & cortex fluvialium ad diabeten, & canis rabidi mortsum: cui etiam in aquæ metu cynorhodi radix auxiliatur. Necno an nomen ex hoc sumperit frutex, an ante prius haberet: verisimilis tamen est ante habuisse, postquam experimentum apud Romanos dictio Graeca est. Similiter in his quæ extra hominis naturam sunt, ex proximis descendendi ratio est. Scire autem principia decet, velut quod omnia metalla mista efficiuntur magis cruda, & minus flexilia: indicio est cuprum ex plumbô & ære, similiter & aurichalcum ex iisdem ac terra quadam crocea: sic & quod Peltrum vocamus, ex vtroque plumbô mixtum: sed quæ adduntur, non ad lentorem tollendum, sed duritatem augendam imponi, solent. Constat zæ fieri posse quod argento pulchrius sit, atque pretiosius: mentione huius Procopius, factumque affirmat à Iustiniano, aurisplendorem & colorem cum haberet. Constat fuisse aurichalci genus.

*In prima. De  
adjectiis Iu-  
stiniani.*

## CAP VT XXV.

*De modo tradendi secreta, vt auctoritatem suam retineant.*

**C**æterum illum pulcherrimum erit, cuius imaginem iam sèpius expressimus, scilicet hic, & in libello de Æthere, & in quarto huius: scribere secreta sic, vt secreta esse non desinant. His autem regulis constat hæc ratio, quæ toties repetenda est, quæties fuerit opportunum: scilicet vt tradamus rem per regulas plures generales, quæ necessariò

cessariò vnum ipsum concludunt: Deum imitantes, qui quæ voluit, abdidit: & tamen necessaria esse perspicuum est, & ad singula determinata. Ille motus astrorum certis rationibus mensurisque metitus est, ut singula quæque suo evenirent tempore: & certè effecit: nec tanen hominum quisquam ad hanc usque diem rationem illam potuit intelligere. Videmus in nodis, qui ex duobus filiis constant: in tribus vero vix quæquam se explicare valet, in quartuor proorsus nullus. Ergo dupli exempli edocemus, scribere verissima & exactè & ordinatè, quæ tamen his aut illis secreta erunt, alijs & pluribus longè omnino ignota.

Quod si obiicias, non posse unquam illo effectura ut prima contemnantur. Responderemus: primum metiri oportere ingenium humanum: quæ enim tradunt, moderatè sunt, non ex toto obscuranda. Quod si in lucem venerint, aut per hominem mediocris aut paulò plusquam mediocris ingenij, atque siccum multa illum præteriturum sit necessarium ad rem pertinentis, etiam euulga: alius superueniens deprehendet primi expositoris defectum, atque sic negotium ad fontem & auctorem redibit. Quod si vel per successionem expositorum re tota explana- nata videatur, hominibus mirantibus arti-

ficium inuentoris, multis de causis charus liber Secretorum erit: primum, ob reliqua quæ ibi scripta erunt: secundum, ob auctoris excellentem industriam, quæ imitabilis erit & incunda intellectu: tertium, quod aliquid etiam nondum comprehensum, in eo quod explicatum est, esse suspicabuntur: quartum, ob auctoris auctoritatem, ad quam omnes inuenta libentius referunt: velut ad Aristotelem potius quam Simplicium vel Averroëm. Porro multiplex utilitas ex huiusmodi traditione habebitur. Prima quidem, quod res inuenta non pereat: secunda ad inuentoris gloriam, normenque: tertia, ut ingenia inquirendo exerceantur, inueniendo admirantur: quarta, ut plura paucis, etiam cum causis suis explicitentur, & quod arcana in vulgus non profanentur. Vulgus enim bene inuenta & nulla præcepta, dum imperfectè intelligit, & utilitatem solùm curat, ad malos usus convertere solet. Multa etiam alia sunt quæ consulto prætermitto. Cum vero vnicuique medicamento suum opponatur deterium, & in unaquaque arte sunt vitia; maximum flagitium est, talij modo quæ vera non sunt, posteris tradere. Cuiusmodi scriptis atque ambagibus pleni sunt libri Chymistarum, Necromantiz, & Agyrarum.

